

qui quoties audiebat aliquid de gloria cœlestis vel paradisi amœnitate, toties rapiebatur in extasim. hærebatque eodem loco immotus: *Itaque pueri et opiliones ab aliis docti, cum eum viderent, clamabant: Paradisus. Id vero ille audiens, mox sursum rapiebatur. Quam ob causam fratres cum illo collocuturi, cavebant ne paradisi mentionem facerent, veriti ne ejus colloquio privarentur.* Ita auctor vitæ, apud Sur. 23. apr. cap. XIX. Quem utinam nos imitemur, auditores, ita saltem, ut cum audimus mentionem regni cœlorum vel civitatis Dei, vel domus Domini, vel cubilium cœlestium, vel denique paradisi, toties in Deum et desiderium patriæ nostræ mente saltem raperemur, et

ad eam inquirendam omni conatu excitaremur! Sane Philippus Macedonum rex, cum ei Demades legatus Atheniensium in mensa depinxisset, rudi penicillo Athenarum pulchritudinem, mox verbis potiundæ inflammatus desiderio, dixit: *Ut urbs hæc mea sit, ferro vel auro efficiam,* Diodor. I. XVI. Potuit hunc regem rudis Athenarum delineatio incitare ad eam expugnandam seu auro seu ferro: faxit Deus etiam, ut hæc rudis cœli descriptio inflammet animos nostros ad comparandam nobis civitatem illam, regnum et domum Dei, seu auro eleemosynæ, seu ferro martyrii, aut mortificationis, seu quocumque tandem alio modo,

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

EVANGELIUM. JOANN. III.

In illo tempore, erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus et dixit ei: Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur: et quod vidimus, testamur: et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixerò vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.

CONCIONES.

- I. De artificiosa inventione s. crucis.
- II. Sanctæ crucis gloria et triumphus.
- III. Beneficia seu effectus s. crucis.
- IV. Fructus signi crucis, quo nos consignamus.
- V. Ad crucem tribulationis portandam quæ invitent.
- VI. Quomodo crux ferenda.

- VII. Quatuor dimensiones s. crucis, seu virtutes primariæ crucifixi.
- VIII. Mystera evangelii.

AUCTARII CONCIONES.

- I. Magna bona in c.
- II. Crucem cur præferamus in processionibus, aliisque actionibus præmittamus.

CONCIO I.

ARTIFICIOSA INVENTIONE S. CRUCIS.

- I. S. crux rubus opticus. — II. Arcus nautica. — III. Vitrum. — IV. Aucupii genus per avem ligneam. — V. Elephantus ligneus. — VI. Virgo et hamus piscatorius.

THEMA.

Notas facite in populis ad inventiones ejus. Isa. XII.

Cum quis novum et artificiosum quid excogitavit, dicere solemus: *Hæc est pulchra inventio.* Ita de horologiis, bombardis, typographia et sexcentis aliis loquimur. Merito etiam hoc dixe-

rim de s. crucis inventionem, non tam de felici ea quæ contigit S. Helenæ, quam mirabili illa quæ in consilio Sanctissimæ Trinitatis Christo Domino ab æterno destinata et decreta crux est, præ omnibus aliis mortis generibus. « Innumerabiles erant moriendi rationes (inquit D. Greg. Nyss. orat. I. in Christi resurrectionem), quibus mortis pro nobis obeundæ consiliis expleri poterat, hanc tamen ex omnibus unam is, qui mortis quam vellet optionem habebat, sibi delegit atque præscripsit. Oportet enim Filium hominis, inquit, etc. » Poterat sibi Dominus eligere mortem placatam, quemadmodum Seneca jussus a Nerone eligere sibi mortis genus, elegit sibi venarum in-

cisionem in balneo, auctore Sueton. Poterat et eligere mortem naturalem: nemo enim poterat tollere ei animam, nisi ipse posuisset. Quid igitur est, quod violentam, acerbissimam, et ignominiosissimam crucis mortem sibi Dei Filius elegerit? Nimirum divini, non humani erat ingenii hæc inventio, eaque pulcherrima et artificiosa, ut videhimus.

I. Nonne pulchra est inventio, tubus ille perspectivus non ita pridem inventus, quo remote res clare et accurate velut vicinissimæ apparent? Ejusmodi tubus est crux Christi, per quam clare perspiciamus qualiter se habeat erga genus humanum Deus, ejusque attributa, quibus hominem spectat, remotissima quidem in se, per crucem vero facta propinquissima. Nam primo, ostendit nobis magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui pro eorum redemptione mortem maxime acerbam et infamem subire non dubitavit. Quomodo enim non summe nos dilexit, qui crucem pro nobis ascendit? Annon inde patet, paratum eum fuisse etiam duriora et contemptibilia subire pro nobis, qui maximum contemptum et acerbissimam crucis non horruit? Ante crucifixionem illam declaraverat in ros Deus amorem suum dando, et cumulando beneficiis, sed non patiendo. Nunc vero et patiendo ita patefecit, ut jam magis patefacere non possit. Id quod indicat Joannes, cap. XIII. cum ait: *Christum in finem dilexisse suos*; per hoc enim indicat terminum dilectionis Christi: qualem peregrinationis et laborum suorum constituit Hercules, qui juxta Gades binas statuit columnas, cum inscriptione: *Non plus ultra*. Sed Alexander Magnus plus se laborem subisse ac subire velle indicans, vexillo inscripsit: *Plus ultra*, teste Plutarcho, in vita Alexandri. Neuter tamen horum quidquam fecit, si cum Christi cruce labores illorum comparemus, ut proinde soli cruci debeatur inscriptio illa: *Non plus ultra*. Quod enim quis in bonum suum extrema perferat, parum id est, quod in gratiam alterius, verbi gratia, supplicio addicti ingentes pecunias expadat, quibus redimatur, id quoque mirum non est: quod vero vitam pro ipso perdat, et dirissimo quidem supplicio, ea certe charitate major excogitari nequit.

Secundo, bonitatem Dei summam erga nos, qui non contentus sufficienti redemptione et solutione, abundantem etiam addit et supereffluentem, dum non mori tantum, sed etiam in cruce mori voluit: ut de ejus bonitate, et misericordia ne diffideremus, sed cum fiducia accederemus ad thronum gratiæ ejus, ut loquitur Paulus, ad Hebræos IV. etiam post quantavis et quotiesvis perpetrata peccata: *Adeamus ergo*, inquit, *cum fi-*

ducta ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. Vere thronus gratiæ crux, ubi latro ille post gravissima peccata veniam mox obtinuit, cum id solum dixisset: *Domine memento mei*, quasi diceret: Non audeo plus a te petere Domine, quam ut memineris mei. Sed quid audit? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, Luc. XXIII. Voluit hoc exemplo palam facere omnibus, quam potens et paratus sit remittere quæcumque scelera, et recipere ad penitentiam sceleratissimos etiam homines, eosque animare ut venirent: ut sicut medicus vel chirurgus volens probare theriacam suam validam contra omnia prorsus venena, canem veneno infectum, vel desperatissimum hominem palam et gratis sanat, ut sic nemo de ejus medicina et arte diffidat. Quis igitur videns crucem, tantum salutis nostræ pretium, non speret salutem et misericordiam.

Tertio, justitiam Dei et severitatem, qui etiam proprio Filio non pepercit, sed ob aliena scelera in crucem illum egit. Multis sane argumentis declaravit Deus in veteri lege justitiæ suæ severitatem; sed tale exemplum nunquam edidit. Si ergo Filium tam acerbè tractavit, tibi hosti et peccatori impenitenti quomodo parcat? Si tam gravi baculo castigavit Filium, quid tibi fiet? Hoc expressit Dominus dicens mulieribus, cum bajularet crucem: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flate, et super filios vestros; quia si in viridi ligno hæc sunt, in arido quid fiet?* Lucæ XXIII. Si Christus humore gratiæ undiqua plenus, fecundus, innocens ita castigatur a Patre ob aliena scelera, quid fiet peccatoribus aridis, inutilibus et igni aptissimis ob propria peccata: ingentes Christi cruciatus legimus et horrescimus, quid erit poena infernalis æterna? Ne ergo dicas amplius: Deus clemens est, benignus est, non damnabit, me. Quid? Itane stupidus eris, ut tibi parcendum credas nocentissimo; cum innocenti non pepercit Filio. Vin scire quam Deus mitis sit et clemens? Veni, accede, palpa: non vides in cruce ejus Filium? Numquid pepercit?

II. Pulchra inventio est acus nautica, quæ errantes in mari nautas, et præter cælum et aquas nihil videntes dirigit, ne devient, et reducit si devierint. Similis est inventio sanctæ crucis. Ita enim Ecclesia, in responsorio I. hodie canit: *In ligno pendens nostræ salutis semitam Verbum Patris invenit*. Acus nautica ex contactu magnetis vim acquirit, ut non quiescat, nisi aquilonem respiciat: ita crux ex contactu corporis Christi habet ut certam nobis ad cælum viam ostendat, ad aquilonem scilicet adversitatis et tribulationis. Hinc latro a dextra Christi versus septentrionem pendens salvatus est: alter a sinistra ejus versus

meridiem pendens damnatus est; jactabantur prius in hoc turbulento mari homines, viam beatitudinis perdidierant, omnes ad austrum prosperitatis tendebant et peribant. Christus ut nos ab ea retraheret, ipse viam ostendit, imo et prævit: nam confecto itinere crucis rediit salvus et gloriosus, ut jam nemo dubitare possit viam aquilonis, tribulationis inquam et crucis, solam esse veram cæli viam. Unde apostolus Jacobus, cap. I. ait: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, etc.* et Dominus, Matth. XI. *Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris*. Si quis regiam cognoscere vult viam, videat ubi cruces fixæ sint, eas enim plurimum in regis collocantur viis. Simili modo si quis cognoscere vult, num recta ad cælum tendat; an crucem sequatur, an gaudeat in tribulationibus. Vanos igitur et insanos crux ostendit eos, qui deliciis et prosperitatibus animam hic pascunt. De Sancto Ambrosio narrat Petrus de natal. I. II. c. XXXIX. et Sanctus Antoninus, I. II. p. histor. tit. X. c. V. § II. cum aliquando in villa Tusciæ quadam hospitaretur, diceretque hospes, de statu suo ab Ambrosio consultus, se nil unquam adversi expertum, omnia habuisse semper prospera et ad nutum, obstupuit Ambrosius et ait ad suos: *Surgite et hinc quantoocius fugiamus quia Dominus non est in loco isto*. Ubi abscessissent paululum, retrospectantes viderunt domum hospitis motu terræ absorptam cum omnibus, qui in ea erant. Similis est Polyæti illius regis Samiorum historia, qui ut scribit Valerius Maximus, lib. VI. cap. XI. cum in omnibus prosperaretur, ideoque elatus periculum facere vellet, num adversi quid experiri posset, annulum pretiosissimum in mare abjecit, ut haberet quod doleret; quem tamen mox recuperavit, capto pisce, qui eum devoraverat. Unde prorsus credidit nihil sibi adversi contingere posse, sequæ omnium felicissimum esse. Sed quantum aberraverit, exitus ejus ostendit. Tandem enim ab Oronte Darii regis prefecto in vertice montis Mycalensis cruci affixus, publico supplicio et dirissimo interiit. Felices igitur, qui dum vivunt, complectuntur crucem, quia sic cum Christo ad gloriam resurrectionis pervenient.

Porro non monstravit tantum nobis Christus cruce sua viam beatitudinis, sed ad eam etiam instar magnetis fortiter nos attraxit, dum ipse primus eam ingressus est. Quis non alacriter sequatur, si tantum ducem præeuntem videat? Alexander Magnus interiorem Persidis regionem eum exercitu suo peragraturus cum venisset ad iter perperit obsitum nivibus et glacie concretum, vidissetque milites squalore loci et viæ difficultate,

territos iter horrere et reditum cogitare, modum invenit militem traducendi. Ipse primus equo desiliit, et dolabra glaciem perfringens iter sibi fecit, pedesque per nivem et glaciem ingredi cepit. Erubuerunt primo non sequi amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites, ut scribit Quintus Curtius, in vita Alexandri, I. V. Si hoc potuit exemplum Alexandri: quid non possit exemplum Filii Dei ducis nostri, qui e cælesti throno descendens, primus viam tribulationis et adversitatis superavit, et crucis dolabra perfrexit. Quod si hanc acciperemus dolabram, et compareremus Christi crucem cum nostra, facile omnes tribulationum glacies ea perfringeremus, eumque sequeremur indefessi. Hujus enim exempli sui efficaciam ostendit Dominus cum ait Joannis XII. *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me*, Græce omnes traham.

III. Pulchra quoque inventio est vitri conscienti ratio. Fit id ex ligni cineribus, et pulchritudine sua elegantiaque jam ex aulis pepulit aurea argenteaque pocula, quod nisi fragile foret, omni auro præstantius foret. Certe Tiberio Augusto obtulit quidam, auctore Isidoro, lib. XVI. vitrum flexibile; oblatum Cæsar abjecit in terram, volens id confringere, et ita vilitatem ejus ostendere: sed complicatum tantum erat ex casu nonnihil vitrum, nequaquam fractum. Itaque sublatum artifex mox reparavit malleo, veluti cuprum aut plumbum idque denuo obtulit Augusto. Quare indignatus imperator eum neci dat, et exterminat dicens: *Aurum hoc pacto instar lutum futurum, et ab omnibus contemnendum, si hoc inventum publicum fieret*: quin et officina ejus abolita est, ne auro pretium detraheretur, teste Plinio, lib. XXXVI. cap. XXVI. Hujusmodi inventum crux est. Vidit Deus homines et tantum consecrari et omni studio quærere, quæ ipsos in peccata varia, et denique in interitum trahunt, ut aurum et divitias, gloriam et honores, delicias et voluptates corporis, scientias, favores humanos, etc. res vanas et periculo plenas, quæ rarissime vel nunquam sine multis magnisque peccatis possidentur. Igitur ut ab his noxiis vanitatibus nos revocaret, crucem extulit et amplexatus est, crucem inquam non divitias, non honores, non delicias, non scientias, non favores; sed crucis contemptibilem, paupertatem, acerbissimam, stultitiam, abjectionem: quam rem securissimam, quæ non modo non cum periculo animæ, sed cum bono modo certissima securitate tractari queat omnibus. Proh quanta vilitas ligni crucis! Et tamen eam tam gloriosam, tam splendidam fecit, ut innumeri contemptis opibus, honoribus, sceptris, deliciis, etc. eam ambabus manibus amplexati

sint maximo suo bono, gloriæ scilicet æternæ. Certe Sanctus Paulus inter alios: *Absit, inquit, mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri*, in tantum, ut præ cruce aurum arbitratus sit velut stercora. Unde fit, ut qui vanitates adhuc sectantur, plane desipiant et stulti esse convincantur. Si enim ea vera sunt bona, cur Christus ea non quæsit vel acceptavit? Cur contraria elegit? Insanit igitur superbus, quia in cruce ignominia: insanit avarus, quia in cruce nuditas et paupertas: insanit gulosus, quia in cruce fel et acetum: insanit luxuriosus, quia in cruce dolorum acerbitas: insanit iratus, quia in cruce patientia et mansuetudo: insanit mundi sapiens quia in cruce stultitia.

Porro adeo firma est crux, ut frangi et exterminari nequeat. Plurimi tyranni et gentiles abjecerunt hoc vitrum, proculcaverunt et exterminare conati sunt. Unde etiam in locum, ubi crux in calvariæ monte posita erat, statuam Veneris collocaverant, quo crucis honorem extinguerent, sed nihil effecerunt. Reparatum semper, imo integrum permansit vitrum, volat volabitque semper in alto crucis vexillum, nolint velint adversarii. Ipsi contra cum omnibus suis pompis exterminati sunt et ad inferos descenderunt. Alii qui crucem secuti sunt, florent in cælo et in terra.

IV. Pulchra inventio est ars capiendi alaudas et coturnices, cum accipitre vel aquila lignea, in pertica, qua per aerem gyrata terrentur aves, et continentur in terra, sicque reti tectæ capiuntur. Similis inventio est sanctæ crucis: aeram enim regionem habitaculum esse dæmonum ipse Dominus ostendit, cum in parabola seminantis volucres cæli diabolos interpretatur. Quare ex sententia S. Athanasii, lib. de incarnatione et Chrysostomi, homil. de s. cruce et latr. Christus idcirco etiam crucem morti suæ elegit, ut aerem a dæmonum potestate et libidine purificaret eosque contineret, ne ita passim, ut olim hominibus nocerent, Christus igitur in cruce, aquila illa generosa in pertica est, quæ aves diabolicas terret, ne contra nos insurgant et rebus, corporibus, animisque nostris noceant. Et licet nos crucem illam non aspiciamus, dæmones tamen eam, velut si adhuc in aere staret, semper intendunt, memores virium suarum efficaciam per crucem immutatam esse.

Quomodo enim canis timet baculum, quo semel est percussus, ita dæmones crucem, per quam sciunt se ligatos, et in gehennam aliquando detrudendos. Huc respexere ss. viri Theodorus et alii, qui passim in viis et agris cruces erexere contra præstigias et dæmonum terricula-

menta et damna. Tametsi vero lignea tantum est crux, et modo non ipsum Christum, sed imaginem tantum ejus refert; timetur tamen a dæmonibus perinde ac si Christus adhuc in ea penderet, quomodo aves timent ligneum accipitrem in aere agitatum: *Quando enim dæmones, inquit S. Cyrillus, catech. XIII. crucem viderint, recordantur crucifixi*: et Chrysost. hom. LV. in Matth. ait: *Si ingenti horrore concutimur, cum videmus loca, in quibus capite damnati penas persolvunt, quid passurum putas diabolum, cum hastam viderit, qua lethale vulnus accepit.*

Sed dicit aliquis: Si dæmonum in aere imperium et tyrannis fracta est, quomodo adhuc in eo dominantur et hominibus nocent? Annon et sagas per aerem libere vehunt, tempestates excitant, etc. Respondeo, non plus eis potestatis in aere relictum esse, quam habent corvi, quin in cadavera tantum eis objecta grassantur, viventibus vero nocere nequeunt. Dominantur ergo impiis et putridis Ecclesiæ membris tantum et emortuis: vivis vero et justis nihil nocere possunt: tentare eos possunt, sed hoc ipsum in bonum justis cedit.

V. Pulchram quoque inventionem memini me vidisse florentissima in urbe Florentina, machinam ligneam elephantis forma; quam tres vel quatuor homines ingrediebantur, cum bestias, ad pugnam commissas separare, et ad suum quamque stabulum concludere vellent. Ex illa enim elephantis fabrica facies protendebant; et sic liberrime ad bestias ingrediebantur easque terrebant et coercerant, leones, tigrides, ursos, lupos, lynces. Similis quoque inventio sanctæ crucis. Terribiles varii generis bestię sunt; varię moriendi rationes, crux, gladius, ignis, rota, præcipitium, demersio, febris, hydrops, etc. sed una altera longe sævior et horribilior: cumque homines sint ut ait S. Thomas, III. p. q. XLVI. art. IV. qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut nullum mortis genus recte viventibus metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit, ipse sibi nullum elegit mortis genus, ne aliquando mortis genus expavescere videretur, ut habet S. Athanas. de incarnat. Similia habet S. August. in Psal. CXL. Erit igitur qui ad mortem placatam et naturalem facile ingrediatur; sed non facile ingrediatur ad tigrides et leones, ad mortem violentam, ad supplicia eorum, ad ignem, rotam, patibulum, etc. Ut igitur nullum mortis genus horrerent Christiani bene sibi conscii, crucem nobis fabricavit Deus: quam si mentis cogitatione ingrediamur, et cogitemus Christum ipsum crucifixum esse, experiemur crucem esse elephantem

solo aspectu omnibus animantibus terribilem, adeoque magno animo amplectemur, imo contemnemus quamcumque mortem. Unde est ut tot tantique martyres tam alacriter ad mortem ierint, nec de tormentorum genere ullo dubitaverint, sed ad omnia se paratissimos exhibuerint. Paulus inter alios, Act. XX. ait: *Vincula et tribulationes Jerosolymis me manent, sed nihil horum vereor*: S. Andreas vadens ad crucem ait: *O bona crux securus et gaudens venio ad te*: S. Ignatius martyr ductus ad bestias acclamat: *Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio et totius corporis contritio et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar, utinam fruar bestiis quæ mihi sunt præparata, quas et oro mihi veloces ad interitum, etc.* S. Tiburtius in prunis candentibus ambulare jussus, super rosas sibi ambulare videbatur: quin et pueri et puellæ, S. Rusticus, S. Agnes quatuordecim annorum, S. Prisca tredecim annorum, et complures alii elephantis hujus præsidio animati ad quævis acerbissima supplicia intrepidi se obtulerunt, ut mirum sit et erubescendum, si nos mortem aut genus mortis horreamus pro Christo obeundæ.

VI. Denique, piscatorum quoque inventio est capiendi pisces hamo: ubi hamus esca tegitur, et virgæ illigatus piscibus objicitur, ut dum escam arripiunt, hamo capiantur. Deceperat homines diabolus et ceperat quasi piscando. Virga hamo usus est, arbore scientiæ boni et mali, esca pomum fuit et sub pomo mors latuit, quæ mox invasit homines. Tulit mulier de fructu ligni, comedit, et cum viro capta est. Ex illo tempore diabolus in hoc mundi lacu dominatus quam plurimos alios similiter capiebat: unde Job queritur Deo, cap. XL. *An extrahere poteris leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus.* Quare, ars ut artem falleret, et medelam ferret inde hostis unde læserat; eodem piscandi artificii usus est Christus ad capiendum leviathan: crucem pro virgâ exhibuit, corpus suum velut escam ei affigi passus est, sub quo divinitas hamus latuit. Unde dixit per Davidem: *Ego autem sum vermis, et non homo.* Leviathan igitur cum exturbatum cupiens veluti regni sui vastatorem: *Deglutiamus, inquit, eum sicut infernus viventem*, Proverb. I. sed non advertens hamum divinitatis, dum suasit et promovit occasionem Christi, captus ipse et ligatus est, maximo suo dedecore; quod eo ipso instrumento, quo ipse ad deceptionem aliorum usus est, sicut in proprio ligno quod paraverat Machabæo, Aman ipse suspensus est: sicut Goliath et Holofernes propriis gladiis interfecti sunt a Davide et Judith. Accidit forte ut militiæ tyro aliquis militem veteranum et expertum ad pu-

gnam provocet: miles sæpius provocatus gladium quidem non arripit, sed tyroni gladium e manibus extorquet, et eodem illum cædit et compescit, magna sua gloria, maxima vero tyronis ignominia. Hoc fecit cum diabolo Christus, qui sæpius ab eo tentatus, et per omnis generis cruciatus ad impatientiam, uti Job, provocatus; tandem cum eo dimicaturus venit eoque ligno quo diabolus homines vicerat, quodque Christus paraverat, ipsum devicit et subjugavit. Quantas igitur agere Deo gratias debemus, qui ad salutem nostram tam congruenter et commode crucem adinvenit atque adeo pertulit? Quod si Deus tanta adinvenit ut nos salvaret, decet ut et nos inveniamus novo ssemper modos ei serviendi.

CONCIO II.

SANCTÆ CRUCIS GLORIA ET TRIUMPHUS.

I. In cruce gloriamur. — II. Crux fronti imprimitur. — III. Frequentissimus crucis usus. — IV. Honores cruci delati. — V. Figuræ crucis. — VI. Miracula.

THEMA.

Ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. III.

Rarum divinæ suæ sapientiæ indicium prodit nobis Deus, Ezechiel. XVII. cum ait: *Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile: et sicavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum.* Quæ verba secundum allegoriam sumpta, hoc sensu non male intelligemus, si dicamus lignum sublime et viride fuisse lignum scientiæ boni et mali, ad quod Adam extendit manum, quia nimirum audierat, fore sicut deos, scientes bonum et malum, qui ex eo comederint; lignum vero humile et aridum esse lignum crucis, ad quod extendit manus Christus. In illo nos Adam perdidit, in isto Christus reparavit. Propterea ergo humiliatum est lignum illud viride et sublime, dum perpetuo paradisi carceri inclusum et anathemati quasi subjectum, sicque perpetua sterilitate damnatum, tandemque in diluvio omnino deletum est. Contra vero lignum crucis aridum et humile jure exaltatum est, dum Christi contactu sanctificatum, indeque toti orbi venerabile redditum, velut instrumentum communis nostræ salutis. Sciunt hoc et vident omnia ligna regionis, id est, omnes Christi fideles. Atque ut hoc magis videant, declarabimus in præsentia.

I. Patet ex eo, quod Christiani in cruce gloriantur. Audi apostolum ad Gal. VI. *Mihi autem*

absit gloriari, inquit, nisi cruce Domini nostri Jesu Christi. Quod Ecclesia suis membris omnibus accommodat in officio hodierno, cum ait: *Nos autem gloriari oportet, etc.* ut, I. Cor. I. *Judæis signa petunt, et Græci sapientiam quærent: nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Thebanus ille rogatus quid de Romanis sentiret respondit: *Romani in lanceis, Græci in eloquentia, Thebani in virtutibus gloriantur.* At apostolus dicit se et Christianos in Christo crucifixo gloriari: hæc nostra est lancea, hæc eloquentia, hæc virtus. Gloria autem in cruce primo, quia summum Deus in cruce nobis ostendit amorem, ut hæc arte nos ad se traheret. Solo enim nostri amore ad crucem descendit, ita tamen sapienter, ut interim gloriæ suæ nihil detraheret. Secundo, quia in cruce redemit nos: *Non per potentiam deitatis, sed per justitiam et humilitatem passionis,* ut ait S. Augustinus.

Tertio, quia in cruce perfectissime omnium virtutum exemplar nobis imitandum proposuit. Quarto, quia per crucis stultitiam mundi fastum et sapientiam miro modo confutavit. Hinc non pauci sancti amaverunt et quæsierunt a mundo stulti haberi, ut S. Francisus, S. Simeon Salus, B. Jacoponus et alii. Cæteri Christiani, cum a mundo stulti habentur, nequaquam inde perturbantur, sed sibi potius gratulantur. Denique, tempore antichristi: *Fideles intrepide citraque ruborem signaculum crucis Christi in conspectu impiorum deferent,* inquit Andreas Cæs. idque insinuat Ezech. c. IX.

II. Patet ex eo, quod ea Christiani in fronte se conignent hominis parte suprema et dignissima. Unde S. Augustinus, in Psalm. XXXVI. dixit: *A locis suppliciorum fecit crux transitum ad frontem imperatorum.* Antiquissimus auctor Tertullianus, l. V. contra Marcion. signum crucis appellat *signaculum frontium.* Unde patet Christianorum olim communem morem fuisse formare signum crucis in fronte. Cujus mortis causa prima est, quam dat S. Aug. in Ps. XXX. *Non sine causa,* inquit, *signum suum in fronte nobis figi voluit, tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat:* et in Psal. CXLI. *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* Frons enim hominis pars est maxime conspicua, et sedes pudoris atque erubescentiæ.

Secunda, ut frons hoc quasi operculo vel clypeo tegatur et muniatur contra impudentiam. Frontem nimiam explicatam et omnino nudam pro impudente habet S. Augus. in tit. Ps. XLVI. qualis describitur, Jer. II. *Frons mulieris meretricis sucta est tibi, noluit erubescere.* Unde frontem

talem vocat ibi Aug. *calvam,* adeoque quod est sine crine caput, hoc est, sine cruce frons: signum ergo pudoris, quo Christo insultatum est, constituitur in fronte ne homo sit effrons.

Tertia, ut hoc humilitatis signo muniatur frons contra superbiam, eaque nobis velut innata hoc medio retundatur. In cruce enim Christus ad summum humiliatus fuit. Christi ergo humilitatem fronti nostræ inscribimus, ut eandem in corde gestemus: *Si portas,* inquit S. Aug. serm. XX. de diversis (recens Lovanii editis) *in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* Tibi enim, mi homo, debebatur crux, non Christo, tibi ergo et humiliatio ac confusio debetur, non Christo. Audi latronem, et dic cum illo: *Nos quidem juste (in damnatione crucis sumus), nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.*

Quarta, ut trophæum victoriæ Christi de diabolo obtentæ loco maxime conspicuo ponatur, ad Christi imprimis honorem, ut docet August. tr. XXXVI. in Joan. *Ipsam,* inquit, *crucem de diabolo superato, tamquam trophæum in frontibus fidelium positurus erat:* et S. Cyprian. l. II. testim. XVII. *Hic est lapis, quo David frontem Goliath percussit.* Denique, ut dæmones eo conspecto fugiant et contremiscant. Ita Cyrillus, catech. XIV. *Manifeste,* inquit, *te signa cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes procul fugiant.*

Quinta, ut hoc pacto restituatur a nobis quantum fieri potest honor Christo, a Judæis ablati. In monte enim Calvariæ ille crucifixus, irrisus, blasphematus fuit: nunc ergo in calvariis nostris honoretur, glorificetur et quodammodo resurgat recipiatque honorem suum. Erigimus enim ei crucem in calvariis nostris, non ut in eis rideatur et occumbat, sed ut colatur et regnet.

Sexta, ut hæc nota et sigillo ei transcribamur ut servi vel sponsæ, et sanctificemur velut templum. Primum docet S. Agnes, apud Ambrosium, serm. XC. *Posuit, ait, signum in faciem meam, ut nulum præter eum amatorem admittam:* alterum Cæsar Arelat. homil. V. de pasch. ubi ait frontes nostras depingi crucis titulo, sicut postes domum Hebræorum inungebantur sanguine agni; ut inde arceatur diabolus.

His adde quod crucem efformemus manu dextera non sinistra, quia dextera apud omnes gentes honoratior et præstantior reputatur. Ita S. Justinus martyr, q. CXVIII. ait: «Dextera manu in nomine Christi, eos qui crucis signo obsignandi sunt, obsignamus, propterea quod dextra manus præstantior censetur, quam sinistra.»

III. Patet ex communi et frequentissimo ejus usu, qui viget apud Christianos. Imprimis rem

difficilem aggressuri, veluti prælium, disputationem cum hæreticis, vel concionem, ecclesiam ingressuri vel egressuri, cruce se signabant veteres Christiani, ut ostendit Jacobus Gretserus, lib. de cruce, c. XXI. et XXV. Secundo, cum blasphemiam audirent, vel quid impium aut insolens, ut ibid. c. XXIV. Tertio, ad fulgura et tonitrua aliosque repentinos terrores cruce nos signamus, ibid. cap. XXV. Quarto, visis spectris, cruce se armabant et armant etiamnum. Ita Sanct. Antonius: *Viso hyppocentauro,* inquit S. Hieronymus, in vita Pauli eremite, *salutaris impressione signi frontem armat,* ibid. c. XXVII. Quinto, cum noxiæ cogitationes animi subirent, ad crucem confugiebant. S. Chrysost. homil. LXXXVIII. in Math. *Si succendi cor tuum,* inquit, *senseris pectus continuo signaculo crucis signato, et ita illico, tamquam pulvis dissipabitur.* Ita S. Benedictus fratrem mensæ suæ ministrantem et inflante de se sententiam monuit: *Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? Signa cor tuum,* ut refert S. Gregorius Magnus, l. II. dial. d. XX. Crux ergo quasi sera et repagulum est, quo cor nostrum ocludimus pravis cogitationibus, ibid. cap. XXVIII. Sexto, cum quid scripturi sumus, frontem chartæ cruce signamus, idemque fecere veteres, ut ostendit Gretserus, l. II. cap. XVIII. Septimo, valedicturi et discessuri vel arduum opus inchoaturi cruce se signabant: nostrates etiam Germani crucis benedictionem discedentibus impertiunt, id. lib. IV. c. XXIX. Octavo, moribundi signum crucis sibi imprimebant, ibid. c. XXVI. Nono, mortuos quoque cruce armamus, eorumque tumbas et sepulcra ea velut sigillo signamus, ut Christianos eos fuisse demonstramus. Denique, quam frequens fuerit veteribus crucis signi usus, tradit Tertullianus, l. de coron. milit. c. III. dicens: «Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et ad calceatum, ad lavaera, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.» Terimus, inquit non signamus, tam crebro enim signabant frontem, ut eam tererent velut viam publicam. Similiter et Cyrillus Jerosolymitanus, catech. III. «In omnibus, inquit, crux fiat, in panibus comedendis, et in poculis bibendis, et in ingressu, et in egressu ante somnum, recumbendo et surgendo, eundo et quiescendo. Magna est hæc custodia, etc.»

IV. Patet ex honoribus quibus eam decoravit Ecclesia et fideles. Primo, decoravit Ecclesia primo, festis inventionis et exaltationis ad honorem ejus institutis: secundo, templis ei dicatis, necnon ad ejus formam plerisque ædificatis: tertio,

adhibet eandem veluti sigillum suum, ad designanda loca ecclesiarum extruendarum, eamque in fastigio temporum collocat: quarto, altaria cruce signat et sepulcra: quinto, in supplicationibus crucem præfert: sexto, in domibus crucem servat, in viis publicis erigit et in navibus: denique, sine crucis signo nullum sacramentum administrat.

Secundo, decorarunt eam imperatores alique fideles. Primo, dum crucis supplicium ad honorem crucis Dominicæ sustulerunt, quod primo fecit Constantinus Magnus lege lata, cui posteritas libenter paruit. Deinde, apud Wandalos ad fidem conversos: idem fecit comes Adolphus apud Gretserum, lib. I. de cruce, cap. XCI. Secundo, imperatores, Theodosius et Valentinianus sub gravi pœna vetuerunt eam humi sculpi vel pingi, ne pedibus calcaretur, cod. Justinian. tit. VIII. Tertio, super globum imperatorum eam collocarunt, uti etiam super coronas et tiaras regum et episcoporum; quibus etiam crux præfertur peregrinantibus; et obviam gestatur adventantibus. Quarto, vexilla bellica partim in ejus formam efficta, partim ejus imagine consignata, uti etiam quandoque gallæ et vestes militares.

Quinto, ordines militares cruce insigniti; alba quidem, milites S. Joannis Hierosolymitani: rubra S. Jacobi Ensigeri, Calatravæ S. Georgii, Avis in Lusitania, Montesæ, S. Stephani in Hetruria: viridi Pereiri, Alcantaræ S. Lazari: alba rubenti inserta milites Christi. Denique, integri exercitus cruce signati fuere pro asserenda terra sancta ex Mahumetanorum tyrannide. Sexto, nummi quidam cruce signati sunt: ut olim, ita nostro tempore qui et inde nomen sortiuntur, uti et alia plurima, insulæ, civitates, pagi, monasteria, portus maris, alpes, herbæ, flores, sidera, etc. Denique, solitum fuit estque adhuc Christianis multis cruces ex collo pendulas gestare. Quæ omnia pluribus exemplis ostendit Jacobus Gretser. lib. II. de cruce.

V. Patet ex figuris veteris testamenti, quibus eam Deus variè adumbravit, tum ut sic exaltaretur, tum ut ejus mysterium credibilis redderetur. Nos illustriores secernemus.

Præfiguratur primo, in l. Gen. per scalam quam vidit Jacob, Gen. XXVIII. Illi innitebatur Deus, in cruce pendebat Christus: in illa ascendebant et descendebant angeli: in hac seu per hac ascendebat populus gentilis, descendebat populus Hebræus. Per baculum Jacob, quo primo transivit Jordanem, postea duabus uxoribus sibi desponsatis rediit cum duabus turmis, Gen. XXXII. Sic enim Christus beneficio crucis desponsavit sibi Ecclesiam et synagogam, velut Rachaelem et